

*zatis eorum*, Summus tamen Catholicorum Sacerdos loco Ephod fanone utitur. *Fanon* in Ceremoniali significat subtilissimum velum sericum variegatum, quo quidem utitur Papa, quando Pontificaliter celebrat, & post Albam induitur, & circa collum ligatur ad modum caputii, ac supra caput ejus imponitur usquequo planeta induatur, supra quam deinde ad modum mozeta adaptatur, & pallium superimponitur: itaque pars fanonis inferior sub planetam concluditur. Variegatio etenim est quatuor colorum, qui in Ephod Legis Veteris reperiebantur, erantque quasi quatuor Elementorum symbola. *Fanon* item aliquando significat velum hasta pendens veluti brandeum, & vexillum, quod *Confanon*, & *Italicè: Confalon* dicitur. Etiam significat velum in manica pendens, manipulum nempe, qui olim nil aliud erat, quam velum lineum ad sudorem, & lacrimas abstergendas.

370 *Mitra* est Episcopale capitis ornamentum à quodam verbo Græco sic dicta, quasi ligamen, quo mitra ligabatur: quod & olim apud Gentiles adumbratum legitur: *Cererisque Sacerdos Amphicus albenti velatus tempora vitæ*. *Mitra* pileum Phrygium significat, quo capita Virgines, & alia Matronæ ornabant: ac proinde inter vestimenta muliebria numeratur in *L. 23. §. 2. ff. de Auro, & arg. legat.* ad quoad alludit illud *Virgil. Æneid. 4. v. 215. Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu, Meoniam mentem mitra, erinemque madentem subnixus raptu potitur*. *Mitra* verò Episcopalis Christi magnificentiam significat, duo cornua denotant scientiam utriusque Testamenti, quæ debet resplendere in Ecclesiasticorum Pastorum capite, duæ fasciæ superhumeros pendentes symbolum sunt spiritus, ac litteræ in Divina Scriptura absconditæ, qua Præsul debet superhumeros portare totum id, quod ore docet. Sic *Innocent.* Cardinales quidem, quando sacris paramentis induuntur, mitræ usum ex serico albo ex concessionis Pauli II. habent. Episcopi Græci, excepto Alexandrino Patriarcha, mitra non utuntur. Aliquibus Abbatibus usum mitræ conceditur, quin & aliquibus Canonicis, & Dignitatibus in dulgetur. Prædicti tamen in distributionibus candelarum, cinerum, atque palmarum, licet habeant mitram debent nihilominus surgere, ac stare, ad differentiam Episcopi, quem sedere decet. *S. Congreg. Episc. 18. Febr. 1650.* *Mitra* à variis appellatur *apex, sertum, vitæ, corona, pileum, Galea, & Tiara*: & jam communi-

ter *insula* indigitatur. Etiam *pectorale* est proprium Episcoporum: est enim illa crux gemmis formata ante pectus pendens (unde *pectorale* dicitur) qua Episcopus in Pontificali celebratione utitur, significatque antiquum Summi Sacerdotis Rationale, & sic aliquando vocatur, & in Ceremoniali Episcoporum *formalium* dicitur, & ab aliis *Encolpium, & pylacterium* nuncupatur. *Rationale* equidem antiquum ex opere polymito erat, juxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho, purpura, coccoque, bis tincto, & bysso retorta, quadrangulum erat mensuram palmi habens tam in longitudine, quam in latitudine, & quatuor ordines lapidum habebat, & in quolibet ordine tres lapides erant nomina filiorum Israel inscripta habentes. *Exod. 28. ex n. 15.* eratque junctum superhumerali, ita ut non possent separari. In Rationali quidem Aaron erant inscripta hæc verba: *Doctrina, & Veritas, Exod. 28. n. 30.* Insuper *Chirotecis* ad manus regendas Episcopus in Pontificalibus utitur, & ideo Latine *manica* dicuntur: alluduntque ad hædinas pelles Jacob, quibus ab Isaac decepto benedictionem paternam obtinuit: debent esse inconsuales, quippe Pontificis actiones debent fidei rectæ esse concordæ. Etiam significant nostræ mortalitatis spolia à Verbo Incarnato desumpta. In die Veneris majoris hebdomadæ, nec in Missis pro defunctis, debet Episcopus Chirotecis, uti *Baculus* etiam est Episcoporum insigne, & Latini Episcopi baculum curvatum in vertice gestant, cujus significationes his versibus, quos affert *Gloss. in c. m. de Sacra Unction.* continentur: *In baculi forma, Præsul, datur hæc tibi norma— Attrabe per primum, medio rege, punge per imum— Attrabe peccantes, rege justos, punge vagantes— Attrabe, substantia, stimula, vaga, morbida, lenta.* In Missis defunctorum Episcopus baculo non utitur: nec eo, saltem hodie, Pontifex utitur. *c. m. §. fin. de Sac. Unct.* quamvis aliquos Romanos Pontifices baculo usos constat ex variis picturis, quas affert *Jacobus Maeri in Hiero-Lexic.* rationem reddit, *D. Thom.* quia Petrus, ait, dedit ipsum ad resuscitandum quemdam Discipulum suum, qui postea factus est Episcopus Treverensis, & ideo in Diocesi Treverensi Papa baculum portat, & non in aliis locis: vel etiam in signum, quod non habet coactatam potestatem, quod curvato baculi significat. Licet alii aliter. *Baculus* etiam appellatur *Cabuta, Gambaça, Ferula, Virga, Croccia, Maeri.*

371 *Annulus* item est Episcoporum, & Pastorum animarum ornamentum, quem tamquam suarum Ecclesiarum sponsi gestant: aureusque, & pretiosa gemma ornatus esse debet, sed sine figura, vel cætura aliqua. Unde ait *Hugo Cardinalis*: Prælati debet esse annulus alius signando exemplo suo, & debet esse rotundus propter æternorum contemplationem. Et *Innoc.* ait, quod est signaculum fidei, juxta quod pater filio revertenti dare annulum in manu præcepit, ut videlicet Ecclesiam sibi commissam Prælati ipsius in temerata fide custodiat, ad quam fideliter observandam per visibilem speciem jugiter admonetur. Et licet olim in dextro indice collocaretur, hodie tamen in Pontificali celebratione in annulari digito ponitur, in quo ferri continuo usus invaluit. Aliquibus etiam Abbatibus, annulus conceditur, quin, & Doctoribus: hic tamen non est Sacer dotum benedictione caret. Prohibetur Protonotariis, non participantibus, & Doctoribus celebrare cum annulo *Sacr. Rit. Cong. 11. Febr. 1623.* item & Cathedralium Canonicis. *20. Nov. 1628.* sub quo nomine intelliguntur, etiam Canonicales Dignitates. Pontifex quidem, ait *Optat. Milevit.* annulum portat, ut se sponsum Ecclesiæ agnoscat, & pro illa animam, si necesse fuerit, sicut Christus ponat, mysteria Scripturæ à perfidis sigillet, secreta Ecclesiæ resignet. Inter sigilla equidem Romani Pontificis *Annulus Piscatoris* numeratur, quo scilicet in cera rubra signat Brevia: ita dictus ab imagine D. Petri in actu piscationis. Aliud sigillum Bulla dicitur, quo videlicet in Cancellaria Apostolica plumbeæ Bullæ signantur, & ex una parte habet amborum Apostolorum capita, quibus interposita est crux, ex altera parte regnantis Pontificis nomen apponitur. Tertium denique dicitur *Signum*, in quo nempe aliqua sententia Sacra Scripturæ inscribitur: apponiturque in Bullis Pontificiis Consistorialibus, quæ manu ipsius Papæ, & à cunctis Cardinalibus, seu à majori parte subscribuntur. In his enim præter plumbum dictum depingitur crux, aliquaque circumscribitur sententia. Sic *Lucii III.* erat hoc signum: *Adjuxta nos Deus salutaris noster.* Urbani III. hoc: *Ad te Domine levavi animam meam.* Alexandri III. hoc: *Vias tuas Domine demonstra mihi.* *Maeri Hiero-Lexic. V. Annulus, & Bulla.* Episcopi aliquando in Trono sedent. Hic namque variè pro diversitate situs Altaris collocatur, ita tamen, ut tribus gradibus ad ipsam ascen-

datur, qui panis, aut taperibus tendantur. Forma sedis erit prælata, & sublimis, & super eam umbraculum, seu baldachinum appenditur, & sic Episcopus Missam solemniter celebrat: aliquando sedet in faldistorio. Hoc enim est certa humilis sedes, cujus forma adinstar antiquæ sellæ curulis est, & sic à *falda strato* dicitur. Italicè namque *fumbria*, & pedes montium *faldes* appellantur, eodem fere modo, ac in Hispania: Hinc sella ista, quia in extremitate strati, quod à throno, & extremitate Cathedræ dependet, solet collocari, idcirco ita nuncupatur. Poniturque in cornu Epistolæ ob reverentiam Cathedræ, quæ digniorem in Evangelii parte locum obtinet. In hoc igitur faldistorio solemniter celebrant Episcopi, ubi jurisdictione caret: quin & in propriis Diocesisibus, quando aliqua major Dignitas præsens est, seu quando in collatione Ordinum sedent ante Altare: non tamen debent uti faldistorio, in Ecclesiis Regularium, sed debent Cathedram, & baldachinum apponere. *Cl. fin. de Priv.* celebrans in faldistorio, eo etiam pro genuali utitur. Hæc magno cum labore à variis Doctoribus, qui de Ecclesiasticis ritibus, & ornamentis late agunt, decerpta sunt: nec major claritas è caligine antiquitatis quoad ritus, & nomina prædictorum facile hauriri vallet: cum sæpè à diversis Authoribus eadem res diversis nominibus appelleretur, idemque nomen diversis applicetur rebus. Et hæc regula debes uti cum aliqualem differentiam, vel etiam contrarietatem in prædictis apparere videas. Demum: Amictus, aliaque sacra, seu benedicta instrumenta nequeunt ad usum profanum converti, sed ea, si consumpta sint, comburi debent, quia non licet ea, quæ in Sacrario fuerint malè tractari. Cineres quoque eorum in baptisterium inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introituum pedibus inquinentur. Sic *Clemens* Papa in *c. 39. de Cons. D. 1.* Nec prædicta possunt pretio commutari, nisi in casu necessitatis, aliis Ecclesiis. Ornamenta benedicta, quæ non tangunt immediate Corpus Christi, tangi possunt à Laicis, & feminis. Calicem consecratum, vel lapidem manu nudâ tangere, sceluso contemptu, non excedit veniale. Calices cum sanguine solum à Sacerdote, vel Diacono tangi possunt: si vacui sint, etiam à Subdiacono, & Ministro in Sacrificio, etiam Acolyto: idem est de Corporali. Sic ex variis *Textibus, D. 23.* Sacristis hujusmo-

di vasa, & vestes tangere ob officii necessitatem permittitur. Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula debent benedici. Idem est de Corporali, & pyxide Eucharistiae: & praedictorum benedictio de jure pertinet ad Episcopum, ex privilegio autem ad Guardianos, & Rectores, quibus id concesserint Provinciales. *Innoc. X. An. 1654.* Regularibus prohibuit, vasa sacra, & altaria similia consecrare, in quibus Chrismatis Unctio est necessaria. Nostri tamen Praesbyteri, qui mittuntur à Praeposito Generali in loca remotissima, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, vestes Sacerdotales, palas, Corporalia, Calices, Altaria, Ecclesias, Cæmeteria, & omnia paramenta Ecclesiastica possunt benedicere in illis partibus, si non adsit Episcopus. Sic *Paul. III. 16. Octobr. 1549. Urban. VIII. 10. April. 1634.* & constat *Comp. privileg. Soc. V. Benedictio.* Ubi additur. Hac facultate possunt uti Provinciales, & reliqui Superiores de illorum licentia. Si tamen ea quæ benedicenda sunt, sint exteriorum, non benedicantur, nisi instanti aliqua gravi necessitate, aliavè magni momenti causa. Aqua, ova, fructus, rosaria, rami, & similia à quolibet Sacerdote possunt benedici. Præterea Romani Pontifices solent in Dominica 4. Quadragesimæ rosam auream benedicere, & illam post Missarum solemniam alicui Magno Principi si Romæ est, dono dare, vel si ibi non est, mittitur ad aliquem Regem, vel Principem de Consilio Sacri Collegii. Sicut, nocte Nativitatis etiam solent ense benedictum cum quodam Capello Ducali ornatum candidis Margaritis in formam columbæ alicui Magno Principi dare.

372 Jam ergo cum Sacerdote vestibus sacris ornato progrediamur. A loco igitur, in quo Sacerdos vestes induit ad publicum procedit, sicut Christus ex utero Virginis procedens in Mundum venit. Sed antequam sacrificium incipiatur, expediens erit, saltem per transenam Ecclesiam, ejusque partes perscrutari: quippe in ea, ejusque parietibus, columnis, trabibus, lapidibus, januis, tecto, pavimento, fenestris, turribus, & aliis plures mysticæ significationes comprehenduntur. *Turris* quidem in Templis Ecclesiam Militantem significat, ejusque Prælatos, & Prædicatores juxta illud *Cant. 4. v. 4. Sicut Turris David collum tuum, quæ edificata est cum propugnaculis.* Et ut notat *Titelm.* per collum istud sponsæ intelligimus invictam illam fortitudinem, & insuperabili-

lem constantiam Ecclesiæ: per propugnacula accipere pomus ipsos Sanctos Apostolos, eorumque successores, Episcopos, & Doctores, cæterosque Ecclesiæ Prælatos, qui sunt veluti propugnacula Ecclesiæ: Imò singuli quasi singula sunt turres. *Pinnaculum* Turris vitam, vel mentem Prælati, quæ ad alta tendit, representat juxta *Durandum*, qui addit, quod *gallus* supra Ecclesiam positus Prædicatores designat: Gallus namque profundæ noctis pervigil horas suo cantu dividit, dormientes excitat, diem appropinquantem præcinit: sed prius se ipsum allatum verberare ad cantandum excitat: quæ singula mysterio non carent. Nox enim est hoc sæculum: dormientes sunt filii hujus noctis in peccatis jacentes. Gallus Prædicatores, qui distinctè prædicant, & dormientes excitant, ut abiciant opera tenebrarum, clamantes istis dormientibus, exurge, qui dormis, lucem venturam prænuntiant, dum diem judicii, & futuram gloriam prædicant. In turri quidem collocatur *horologium*, per quod horæ leguntur, indicatque diligentiam, quam Sacerdotes in dicendis horis debito tempore habere debent. Ibidem etiam *Campana* apponuntur, quæ sunt vasa aenea in Nola Campaniæ primo inventa: siquæ majores dicuntur. Campanæ à Campaniæ Regione, minores verò à Nola Civitate Nola indignantur juxta *Durandum*, quod potest saltem de majori perfectione intelligi, eum jam ab antiquo earum usus fuisse credatur. Et quidem fuerunt in Ecclesia introductæ ad similitudinem turbarum, quas Deus Moysi facere jussit. *Numer. 10.* ubi earum usus, sonorumque varietas apponitur. Campanæ quidem Prædicatores significant, qui fideles ad similitudinem Campanæ ad fidem vocare debent. In tribus diebus majoris hebdomadæ, non Campanis, sed *crocalis lignis*, Hispanè: *Matraca*, in signum mæstitiæ utitur Ecclesia: & quia Apostoli, quos Campanæ representant in Salvatoris Passione præ timore siluerunt. In Parochia, & in Regularium Ecclesiis nequeunt in Sabbato Sancto pulsari campanæ pro *Gloria in Excelsis* ante Ecclesiæ Matricis signum sub pena entum ducatorum ex *Const. Leon. X. An. 1518. Et S. Cong. Rit. 19. Febr. 1608.* Campana in elevatione Hostiæ in Missa, & quando Eucharistia defertur ad infirmos pulsari debet, ut Populus ad Christi Sacramentum adorationem moneatur. *Maeri. V. Campana.* Sanè in capite, seu eminentiori Ecclesiæ parte *Altare Majus* collocatur, quod

Christum caput Ecclesiæ representat. *Altare* quidem sic appellatur, quasi *altara*, vel *ara*. *Ara* tamen sacratum, & portatile altare significat, sic dicta ab *ardore*, quippe Hostiæ, & victimæ ibi comburebantur. Et juxta *Durandum* Capella major, quam *Canellum* appellat, debet esse humilior reliquo Corpore Ecclesiæ: quod mysticè significat, quanta humilitas debeat esse in Clero, & in Prælato. Capellam enim majorem à corpore Ecclesiæ cancelli dividunt, qui multas mansiones in domo patris esse designant. Et à *D. Cornelio*, & *Cypriano* dicitur *presbyterium*: ab aliis *Sanctuarium aliaris*, *Sancta Sanctorum*, & *propitiatorium* appellatur, saltem lato modo: licet *propitiatorium* strictius opericulum arca Testamenti juxta *Theophylactum*: & juxta *Ecumenium* erat tabula aurea quadrata perpendicularitèr super Arcam pendens sine contactu, ita appellata, quia ex eo propitiationes accipiebantur. Et quia ibi dabantur Divina responsa, etiam dicebatur *Oraculum* Altari lapidea esse debent, nec aliter erunt consecrata. *c. 31. de Cons. D. 1.* licet ante S. Sylvestrum ob continuas persecutiones lignea essent, quale est Altare Apostolorum, quod Romæ asservatur, & in quo solus Pontifex celebrare valet. Hodie tamen saltem Ara debet esse lapidea, quod quidem convenit: quia altare significat Christum, qui petra dicitur ab Apostolo, & quia Corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum: convenit etiam quod usum Sacramenti: quippe lapis solidus est, & de facili potest ubique inveniri: quod non erat necessarium in Lege Veteri, ubi in uno loco altare fiebat. *D. Thom. in 3. p. quæst. 83. art. 3.*

373 In Ecclesiæ quidem altari majori communiter collocatur *Tabernaculum*, in quo Corpus Christi custoditur ad imitationem Legis Veteris, ubi sic habetur. *Exod. 25. Eriges Tabernaculum Testimonii, & pones in eo Arcam.* Et *3. Reg. 8. v. 6. Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in Oraculum Templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubim.* — In *Ara* autem non erat aliud nisi *dua Tabula lapidea*, quos possuerat in ea *Moses in Horeb, quando pepigit fœdus Dominus cum filiis Israel, cum egrederentur de Terra Ægypti.* Et hinc hujusmodi Ara appellatur *Ara fœderis Testimonii, & Testamenti.* Et *Apost. ad Hebr. 9. v. 4.* ait: *Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum aureum habens, thuribulum, &*

*Arcam Testamenti circumscriptam ex omni parte auro, in qua Urna aurea habens manna; & Virga Aaron: quæ fronduerat, & Tabula Testamenti.* Arca quidem Dominum representabat: & expressim manna erat figura Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti. Tempore autem S. Sylvestri, ait *Durandus*, Constantinus Imperator, construxit Basilicam Lateranensem, in qua posuit Arcam Testamenti, quam Titus Imperator asportaverat de Jerusalem, in qua quidem Arca sunt hæc, annuli, & vectes aurei, Tabula Testimonii, & Virga Aaron, manna, panes hordacei, Urna aurea, vestis inconsutilis, & arundo, & vestimentum S. Joannis Baptistæ, & forfices, quibus tonsus fuit S. Joannes Baptista. Tabernaculum æquidem, in quo Eucharistia asservatur dicitur *Ciborium*: quod propriè sibi ventriculum, & translative vas significat, & jam hodie pro Tabernaculo usurpatur, ubi habetur *pyxis*, id est, vas in quo Eucharistia reconditur: quod sanè super Corporale collocari, in usus admisit, valdè decens est. Et olim quidem in foramine muri servabatur. Hoc vas non debet consecrari, sed sufficit, quod benedicatur ab habente potestatem benedicendi corporalia, ac proinde potest benedici à Superioribus Mendicantium: quamquam aliqui tantum de congruentia benedicendum dicant *Lavr. lib. 6. p. 2. ex n. 348.* Nec est necessè pyxidem adinstar Calicis deaurare juxta *Suarez.* Tabernaculum *Cophinas* aliquando dicitur, & Ciborium sæpè pro vase, in quo Eucharistia habetur, usurpatur. *Lunula*, in qua apponitur Hostia in *Monstrantia*, saltem decet, quod benedicatur eadem benedictione, qua pyxis: Monstrantiæ verò benedictio non est necessaria. *Lavr. lib. 6. p. 2. n. 350.* Olim quidem tempore persecutionum Eucharistiam secum deferre concedebatur Christianis, ut si ad martyrium raperentur in promptu Eucharistiam suscipere valerent. Quod postea merito prohibitum fuit in *c. 29. de Cons. D. 2.* Hodie tamen in longinquis itineribus Romani Pontificis per brevem diætam præcedentem Eucharistia defertur super album mannæ undique ornatum, luminibus quidem circumdata, atque nobilissimo comitatu obsequente: quod jam à tempore Stephani III. in usu erat, teste *Maeri Hiero-Lexic. VI. Papa.*

374 In Ecclesiis, præcipuè Cathedralibus *Chorus* utique invenitur, ubi Canonici, vel Clerici ad Divinum Officium canendum, congregantur. Significatque An-

gelos, & spiritus justorum, quasi reciproca voluntate Deum laudantes Sedilia Canonici in Choro stallum appellantur: unde *installare* est in possessionem mittere per sessionem stalli in Choro. Sedes propria Episcopi, & quæ primum locum in Choro occupat, *Cathedra* dicitur. Et hinc Ecclesie, quibus Episcopi præstant, Cathedrales appellantur. Cathedra enim à verbis Græcis *Chatos*, quod est sedes, & *Edra*, quod est sponda, quasi spondata sedes dicitur, significatque altam, & excelsam sedem Judicis præsentis: & hinc pro dignitate, vel jurisdictione usurpatur, ut in *Cl. fin. de Sepult.* pro Summi Pontificis dignitate sumitur. Sæpè tamen pro sede Doctorem, & Magistrorum accipitur, juxta illud: *Rex Solium, Doctor Cathedram, Judexque Tribunal*, — possidet, ac sidem Præsul, Prætorque curule. *Gloss. in Clem. fin. de Sepult.* Primum Chori inventorem Moysen fuisse, ait *D. Isidor.* Jubal autem fuit primus pater canentium, ut ex *Genes. 4. v. 21.* constat. Chorus enim à concordia canentium, seu à corona circumstantium dicitur: quippe olim in modum coronæ stabant cantantes ante aras. In Choro quidem Officium Divinum temporis, & ritui Ecclesie correspondens quotidie debet dici, quod jam ab Apostolis ad imitationem Synagogæ introductum esse ex *SS. Clement. & Basil.* colligitur. Officium etenim constat præcipue ex psalmis, hymnis, & canticis. *Psalmus* à verbo Græco cantum significat. Psalmorum coordinatorem fuisse Esdras, ait *Anasthasius*, sed *Sandus Damasus* jussit in universali Ecclesia recitari. Sunt numero 150 constantque ex 2606. versibus à David metro Hebraico compositis. Et per Canonicas horas, ut nunc habentur, ipsius Damasi jussu dispositi sunt. *Hymnus* à verbo Græco metricum versum significat. Hymni deferunt à threnis, quia threni, cantica lamentationis, hymni autem cantica sunt laudis. Primus hymnorum Author Moyses fuit. *Cantica* verò à psalmis differunt: quia canticum sola voce, psalmus verò instrumento musico psalterio appellato, canebatur. Primus item Canticorum Author Moyses habetur, quando mare Rubrum cum Populo electo pertransiit. Hodie decem cantica in psalmodia recitantur, septem ex veteri Testamento per septem hebdomadæ dies ad Laudes distributa: tria verò ex Novo Testamento: scilicet. *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis.* *Horæ Canonica* sic dicuntur quia regulares sunt, vel quia sunt Canonis pen-

sio, quam tenentur quotidie Deo persolvere Ecclesiastici: psalmodia namque noster Canon dicitur: Et hinc fortè *D. Aug.* dicere solebat, nomen Sacerdotis haud mereri, qui omnes psalmos memoriter non teneret. *Matutinus* ergo à voce *Matuta*, quæ Auroram significat appellatur, & olim quidem in qualibet noctis vigilia unum nocturnum recitabant Ecclesiastici, ad diluculum Laudes persolvebant: postea vero, teperescente fervore, tres Nocturni simul cum Laudibus recitari cœperunt. Prima ad Solis ortum recitanda est. Tertia verò hora nona Solis. Sexta in hora usuali duodecima, seu in Meridie, nona in hora tertia pomeridiana recitari oportet. Vesperæ post Solis occasum, postea verò completorium dicebatur. Sed in his cujuslibet Ecclesie laudabilis consuetudo servetur. *Mysteria* quidem in singulis horis contemplanda sequentibus versibus continentur. *Matutina ligat Christum qui crimina purgat.* — *Prima replet sputis, dat causam tertia mortis.* — *Sexta cruci nedit, latus ejus nona bipertit.* — *Vespera reponit, tumulto Completa reponit.* Cantus in Choro instrumentis musicis sociatur, quæ *Organi* nomine comprehenduntur, licet jam hæc vox ad hydraulum, cui folles adhibentur, communiter applicetur. Juxta *D. Isidorum.* Et ait *Durand.* quod à David, & Salomone introductum est, hymnos, in Sacrificio Domini organis, & aliis instrumentis musicis decantari, & Laudes à Populo conclamari. Et de eis fit mentio in *2. Reg. 6. Et 2. Paralip. 5. & 7.* Et juxta illud *David Psalm. 150. Laudate eum in tympano, & Choro, laudate eum in chordis, & organo.* Hujusmodi quidem instrumenta triumphantem Ecclesiam donant juxta illud. *Apocal. 14. Et vocem, quam audivi sicut cytharætorum cytharæantium in cytharis suis, & cantabant quasi canticum novum ante sedem.* Cantus Ecclesiasticus, sive Gregorianus dicitur planus, & firmus prout contradistinctur à figurato. Cantus enim festivam alacritatem demonstrat, & jam ab antiquo in majoribus solemnitatibus Nationum cantus, & instrumentorum usus invaluit. Sic alter *Posta Metamorph. 3. Liber adest, festisque fremunt ululatus agri.* — *Turba ruit, mistæque viris, matresque, nurusque.* — *Et vulgus, proceresque ignota ad sacra feruntur.* Profectò tres Nocturni Divini Officii triplicem Ecclesie statum designant, naturalem videlicet, Legalem, & Evangelicum: idcirco in tertio Evangelium dicitur: vel etiam tres Christi orationes in horto. In diebus

ferialibus unicum Nocturnum 12. psalmorum recitatur: quia olim Monachis Angelus apparuit 12. psalmos canens, quos sigillatim cum Antiphona Alleluja (quæ Hebraicè laudate Deum significat) terminabat. *c. 15. de Cons. D. 5. Laudes* ita denominantur, quia in eis dicuntur psalmi Laudate Dominum 148. & 150. Et secundum communem opinionem non distinguuntur à Matutino, & juxta noctis divisionem sic hujusmodi partes denominantur ab *Hugo de S. Victor.* Canticinum, in tempestum, gallicinum, & antelucanum. *Te Deum laudamus*, quod juxta communem cum *Bellarmino* compositum fuit à *D. Ambrosio*, & *S. Augustino*, quando hic ab illo fuit baptizatus in Ecclesia Mediolanensi, an. 388. pertinet ad Matutinum, ut patet in nocte Nativitatis Domini: quæ Matutinum cum hoc canticum terminatur. Et licet in *c. 4. h. t.* habeatur, quod *Te Deum* dicatur in Laudibus Matutinis, intelligitur de Matutino cum Laudibus conjunctio. Quæ omnia ut facilius comprehendantur scire oportet, quod dies naturalis olim in octo partes dividebatur: partes quidem diei, dicebantur horæ, noctis verò partes Vigiliæ appellabantur. Orto enim Sole hora prima usque ad tertiam, tertia usque ad sextam, seu Meridiem, sexta usque ad nonam, nona usque ad duodecimam in Solis occasu protendebatur. Tunc verò incipiebat prima Vigilia, quæ durabat usque ad horam noctis nonam, secunda Vigilia usque ad horam duodecimam protendebatur quæ erat in medio noctis, & gallicinum dicebatur: tunc sequebatur tertia Vigilia à media nocte usque ad canticinum, seu nostram tertiam horam Matutinam. Et hinc quarta Vigilia usque in mane, seu ortum Solis: ita ut singulæ partes in æquinoctiis tres horas continerent: in aliis verò temporibus, prout longiores sunt dies, ut noctes hora prima, & nona, prima, & quarta Vigilia protraherentur. Officium ergo variè dividitur. nam 1. est *Duplex*, & sic denominatur, quando tota antiphona ante, & post psalmum recitatur: scilicet in utrisque Vesperis, Matutino, & Laudibus, non verò in aliis horis. 2. est *Semiduplex*, quod quidem officium integrum, sicut duplex habet, scilicet primas, & secundas Vesperas, & regulariter tres Nocturnos, cum novem psalmis, & totidem Lectionibus; in unoquoque nempe Nocturno tres psalmos, & tres Lectiones, sed non dicitur tota antiphona in principio psalmi. *c. 15. de Cons. D. 5. 3.* est *Simplex*, quod tan-

tum habet primas Vesperas, in quibus dicuntur psalmi feriales, & à Capitulo fit de festo, nisi cum eo concurrat Officium novem Lectionum: quia de eo tunc fit commemoratio tantum: & ejus Officium terminatur ad nonam, & nihil amplius, nec commemoratio de eo fit. Ad Matutinum post invitorium, & hymnum de festo unum Nocturnum cum 12. psalmis dicitur, ut in psalterio secundum feriam, quæ occurrit, & tres Lectiones leguntur. 4. est *Dominica*, quæ semiduplex reputatur, incipitque à primis Vesperis, ad Matutinum tres Nocturni cum psalmis, ut in Psalterio, & novem Lectiones recitantur. 5. est *Feria*, quæ fit secundum tempus occurrens, & est simplex cum uno Nocturno, 12. psalmis, & tribus Lectionibus. *c. 15. de Cons. D. 5. 6.* est *Vigilia*, cujus officium incipit à Matutino, & terminatur ad nonam: quippe Vesperæ sunt de sequenti festo, & totum fit de feria occurrenti, & tres Lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliæ. Vigilia eadem inter Christianos dies præcedens alicui solemnitati intelligitur: quia antecedenti die fideles pernoctare solebant in Ecclesia illius Sancti, cujus festivitas die sequenti erat celebranda, & noctem in sacris, Divinisque cantionibus, ac psalmodiis totam noctem occupabant: & idcirco nocturnæ vocaciones à *Tertuliano* dicuntur. Hinc deinde ritus in jejunium fuit commutatus, retinens tamen nomen Vigiliæ. In Vigilia Pentecostes ex antiqua consuetudine jejunatur, in qua etiam antiquitus, sicut in Sabbato Sancto baptizabantur Cathedumeni, & idcirco adhuc in Missa non dicitur tractus, & ad Evangelium non afferuntur luminaria, quia eorum fides adhuc obtenebrata erat, & ob eandem rationem non dicitur Credo. Si Vigilia S. Joannis Baptistæ, vel SS. Petri, & Pauli venerint infra octavam Corporis Christi, tunc in Missa dicitur Præfatio communis de feria. *S. Cong. 12. Dec. 1626.* Si Vigilia S. Joannis venerit in die Corporis Christi, antecipatur Vigilia ad feriam 4. *S. Cong. 23. Sept. 1638.* quoad jejunium tantum, secus quoad officium de quo nihil fit eo anno. Aliquæ festivitates cum octava celebrari solent, hoc est, quod talis solemnitas per octo dies prorogetur. Græci octavam vocant discessum, seu dissolutionem, quia die octavo dissolvebatur festum. Infra octavam fit officium semiduplex, & in Vesperis omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis festi, non fiunt suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur

preces ad Primam, vel Completorium, etiam si fiat officium de Dominica, vel semiduplici. In die autem octava est duplex, & in primis Vesperis octava, fit sicut in primis Vesperis festi. Et cum festum intelligatur inchoare à primis Vesperis, primæ Vesperæ secundis sunt nobiliores, & idè in Capella Pontificia solum primæ cantantur, quod etiam Græci observant. Duplicitas primæ, & secundæ classis; Dominicæ majoris, & secundæ classis, duplicia majora per annum, & feriæ majores constant ex Rubricis Breviarii, & specialibus cujusque Diocesis, vel Religionis Directoriis, *Hispanè: Quadernillos*, ubi inveniuntur, quæ hic desiderantur. *Rubricæ* quidem sic à litteris rubris quibus scribebantur hujusmodi regulæ, nuncupantur. Fueruntque compositæ à Joanne Burcardo, Magistro Cæremoniariæ Pontificis. Et licet sæpè Rubrica, & Cæremonia pro eodem sumantur, distinguuntur tamen: Rubrica enim est regula dirigens, Ritus est modus, quo fit functio, vel actio sacra; cæremonia demum est ipsa actio sacra cum exteriori Religionis cultu. Dicitur enim *Cæremonia* à Cere Hetruriz Civitate, ad quam Vestales confugerunt. Undè omnis Divinis cultus à Romanis cæremonia dici cœpit, vel etiam sic appellatur à verbo *Careo*: nam *D. Augustinus* agens de aliquibus observationibus Judæorum à quibusdam escis secundum Legem abstinentium, eas cæremônias, quasi *Carimonias* appellavit, eo quod observantes his rebus carerent. Rubricæ, quæ sunt circa aliquid ad valorem sacrificii, vel substantiale officii, sunt præceptivæ, & gravitèr obligant, sicut, & illæ, quæ gravitèr præcipiunt, aut expressè dicuntur esse observandæ sub mortali: plures aliæ sub veniali tantum obligant, quin & aliæ tantum sunt directivæ. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 407.* Qui verò non recitaret officium juxta Kalendariz præscriptionem, si frueretur beneficio Ecclesiastico, tenetur ad restitutionem emolumentorum illius diei. *S. Cong. 8. April. 1628.* quod ab *Urbano VIII.* fuit approbatum. Qui est adscriptus alicui Ecclesiæ recitare debet Officium secundum Ritus in Choro ejusdem Ecclesiæ observatum non obstante adscripti alibi degentia. *8. Sept. 1602.* Regulares tenentur recitare Officium Sancti Patroni illius loci, in quo morantur, licet non teneantur ad Octavam illius Officii. In festo Dedicationis Cathedralis de Octava feri debet tantum in ea Civitate, ubi Cathedralis residet, per Diocesim ye-

ro fit Officium sine Octava. *2. Maii 1619.* Deindè sciendum est, quod quando Ecclesia consecratur, vel benedicitur *Titulare* assignatur, sive sit *Mysterium* aliquod: v. g. Incarnationis, vel Conceptionis, sive Sanctus aliquis, ut Sanctissima Deipara; sub cujus Titulo plures Ecclesiæ in Orbe Christiano militant; sive alius Sanctus particularis, & Titulus antiquus Ecclesiæ non potest mutari à Confraternitate, ut habetur declaratum à *S. Congr. 16. Octob. 1604.* Patronus autem est ille Sanctus, qui vel ab Ecclesia, vel Populo in protectorem eligitur, & sæpè voto adjecto, ob aliquam necessitatem, vel motivum.

375 Deindè *Confessio* in Ecclesia dicitur locus ubi Corpora, seu Reliquiæ Sanctorum reponuntur. Insuper, & *pulpitum* in Ecclesiis ad verbum Domini fidelibus annuntiandum, intròductum est ad similitudinem fortè basis æneæ, quam fecit Salomon in medio Basilicæ, & super quam oravit coram multitudine, ut orantium in eo Templo vota Deus exaudiret. *2. Paral. 6. v. 13.* Sic etiam Esdras gradum ligneum fecit ad loquendum. *Esd. 2. cap. 8. v. 4.* Propè januam Ecclesiæ solent jam ab antiquo apponi Conchæ lapideæ ubi *Aqua benedicta* habetur. Hujusmodi autem aqua benedicta à *S. Matthæo* Apostolo instituta creditur: quæ cæremonia constat in *c. 20. de Cons. D. 3.* ubi sic *Alex. V.* ait: *Aquam sale conspersam Populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod, & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus: Nam si cinis vitule sanguine aspersus Populum sanctificabat, atque mundabat: multò magis aqua sale aspersa. Divinisque precibus Sacrata Populum sanctificat, atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum Prophetam sterilitas aque sanata est, quanto magis Divinis precibus Sacratas sal sterilitatem rerum auferre humanarum, & coinquinatas sanctificat, atque mundat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & à phantasmatum versutis homines defendit?* Hoc enim salutare elementum unionem hypostaticam Christi significat: sal enim infusum est mysterium increatæ Sapientiæ: aqua verò Symbolum humanæ naturæ, quæ sicut aqua dilabitur. Diebus quidem Dominicis in Ecclesia Latina Populo benedicitur aqua benedicta in memoriam lavacri regenerantis, quod olim solum in Dominica Paschæ conferebatur. Altare trina aspersione benedicitur: quod non fit, quando Sanctissimum expositum est. Hujusmodi enim aqua

aqua juxta Ecclesiæ januas apponitur, ut ea in Ecclesiæ ingressu lustrati mundo corde ante Divinam Majestatem nostras fundamus preces. In Ecclesiis benedicendis, & altaribus purificandis hyssopo utimur, sicut olim in Veteri Testamento talis herba in benedictionibus adhibebatur, & illa nostras conscientias mundare admonemur: nam ut *D. Ambrosius* ait: Hyssopus herba humilis est, & in petra nascens, qua Christi humilitas significatur. Et hinc aspergillum apud *Hispanos hyssopo* appellatur. Græci tamen frondibus *Ocy* utebantur: quia in loco ubi Christi Crux erat sepulta *Ocy* murem olescebat. Superiori Ecclesiæ non porrigitur aqua benedicta aspergilo, sed hoc in illius manu prius illud osculando traditur. Et in ingressu Ecclesiæ, si Clericus, vel Sacerdos adsit, ipse, non verò Sæcularis, debet aspergillum Magnatibus porrigere. Etiam in domibus privatis piè, & laudabiliter aqua benedicta habetur, cum valeat ad dæmones pellendos, morbosque fugandos, & præcipuè ad peccata venialia delenda. Etiam convenientè, & jam à tempore Apostolorum *usus Imaginum*, & picturarum in Ecclesia invaluit: sunt quippè Laicorum lectiones, & scripturæ: nam quod literæ legentibus, hoc eernentibus præstat pictura: quin, & plus pictura animum, etiam sapientis aliquando movet, quam scriptura juxta illud *Horatii*: *Segnius irritant animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.* Imaginum profectò usus à Lege Veteri sumpsit exordium: nam *Exod. 25.* sic jus sit Deus Moysi: *Duos quoque Cherubim aureos, & produçiles facies ex utraque parte Oraculi, Cherubim unus sit in latere uno, & alter in altero.* Et quamvis in Concilio Illiberitano *Can. 37.* dicatur: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere. Nec quod eolitur, aut adoratur in parietibus depingatur:* hoc quidem intelligitur de picturis, non portatilibus, sed de fixis in pariete depictis propter persecutionum pericula, ne venerabiles picturæ ad ludibria fidelium exponerentur: quod hodie jam omninò cessavit. Ita *Azor, Bellarmin. & Platel.* In Ecclesia quidem viri à foeminis segregandi sunt. *L. 1. tit. 2. lib. 1. R. C.* ibi: *Y Encargamos à nuestros Jueces, que no consientan, que en las Iglesias, y Monasterios los hombres estén entre las mugeres, ni hablando con ellas, quando los dichos Oficios, y Horas se celebraren.* Vir item non debet valere caput quoniam imago, & gloria Dei est, mulier debet caput velare propter Angelos, ut loquitur *Apostolus 1. Cor. 11.* Nec

Sacerdos in celebratione Missæ potest pileolo uti sine licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine. *c. 57. de Cons. D. 1.* apud Sinas tamen licitum est celebrare capite tecto quia apud ipsos caput tegere honoris signum est: nec item licet coma fictitia, seu perruca celebrare. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 400.* Et Missionarii Sini Societatis possunt in eo Imperio Missas celebrare tecto capite non vulgari, & communi pileo, sed alio proprio, & si fieri poterit ejusdem cum paramentis coloris *Paulus V. 26. Martii 1615.* Et licet fideles possint in Ecclesia stare, vel sedere, semper tamen debent se circumspectè, & modestè, & devotè gerere. In Missa, præcipuè, & tempore, quo Christus est in Altari præsens, non solum genu, sed genua flectere debent. Sic *Salomon* genua flectens adoravit. *3. Reg. 8. v. 54.* eodem modo orabant *D. Petrus, & D. Paulus. Act. 9. v. 40. Et cap. 10. v. 36.* Et *S. Stephanus* positus item genibus clamavit voce magna dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7. v. fin.*

376 Semper debet in Ecclesia, ubi Sacratissima Eucharistia asservatur, lampas ardere. Sic enim in *Exod. 27. v. 20.* habetur: *Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, pingue contusum, ut ardeat lucerna semper in Tabernaculo Testimonii extra velum, quod oppansum est Testimonio.* Sanè, ut Missa dignè in Ecclesia celebrari valeat, sequentia requiruntur. 1. Altare, & quidem consecratum, vel saltem habens Aram consecratam, debetque esse ornatum antipendio serico, argenteo, ligneo, vel marmoreo. Sicut olim Moysi fuit præceptum, quod ornaret Altare. *Exod. 25. 2.* Candelabra in altare saltem duo cum candelis accensis hinc, & inde in utroque ejus latere apponuntur, ad similitudinem candelaborum, quæ *Salomon* in Templo posuit. *3. Reg. 7. v. 49.* Et de quibus sæpè in Scriptura fit mentio. Hoc duplex lumen debet esse cereum, in necessitate tamen, præciso scandalo, sufficit una candela, etiam ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo, numquam tamen licet sine omni lumine celebrare. *c. fin. h. r.* aded ut Missam esse relinquentiam, etiam in necessitate consecrandi Viaticum pro moribundo, si ante consecrationem lumen extingueretur, & aliud non posset haberi, asserant *Fagund. Quintana. & alii 3. Crux* debet in Altari, juxta Rubricam, apponi ad Missam celebrandam in memoria Passio-

nis: non tamen erit grave peccatum hoc sine contemptu omittere. Alii, praxi ipsa confirmante, crucifixum esse apponendum dicunt: & sat erit, si crucifixus pro icone altaris depictus, aut sculptus sit. Et quamvis aliqui dicant, non esse necessarium Crucem apponere, dum SS. Eucharistia Sacramentum expositum est, tunc etiam requiri decrevit *S. Cong. An. 1707. teste Latr. lib. 6. p. 2. n. 321.* Benedic. XIV. decrevit Crucifixum esse in altari inter candelabra collocandum. \* Præterea Crux apponenda est in Amictu, Manipulo, Stola, & Casula: quam quidem, quando eis induitur, & exiit Sacerdos osculari debet. Crux quidem à cruciatu dicitur. *c. 5. §. 1. est que nostræ Redemptionis inestimabile instrumentum. Arbor decora, & fulgida, ornata Regis purpura, electa digno stipite, tam sancta membra tangere, ut concinit Ecclesia. Quatuor causas, quare Christus mortem Crucis elegerit, assignat Glos. in Cl. un. de Sum. Trinit. 1. enim ut in ea pendens in aere, se inter Deum, & hominem mediatorem ostenderet. 2. ut damna, quæ per lignum vitium primis parentibus obveniant per lignum Crucis restauraret. 3. ut diabolus, qui per lignum vincebat, per lignum superaret. 4. ut evidentè ostenderet pro quibus restaurandis patiebatur, scilicet, pro superis Angelorum ruinis replendis, pro Justis à limbo educendis, pro amicis colligendis, & adjuvandis, pro inimicis reconciliandis. Primum designatur per brachium superius, secundum per inferius, tertium per dextrum, quartum per sinistrum. Fertur etiam quatuor genera lignorum Crucem habuisse, scilicet cedrum in stipite, palmam in palo per longum, cupressum in ligno ex transverso, olivam in tabula super Crucem loco quarti brachii. Undè versus: *Ligna Crucis palma, cedrus, cupressus, oliva.* In primitiva quidem Ecclesia, ob debilem adhuc credentium fidem, nuda Crux depingebatur, & in ejus base agnus mansuetus, Christi typus, figurabatur: Ob crucis reverentiam Theodosius, & valens prohibuerunt Crucem in terra effigiaré. Idem in nostra Hispania jussum est, *L. 3. tit. 1. lib. 1. R. C. ibi: Poes por la Santa Cruz fue redimido el humanal linage, mandamos, que ninguno saga figura de Cruz, ni de Santo, ni de Santa, en sepultura, ni en tapete, ni en manta, ni en otra cosa para poner en lugar donde se pueda hollar con los pies.* Ob cujus reverentiam quotiescumque Ministri ante altare transeunt, Cruci debent genuflectere. Presbyter, etiam sicut, & cæteri, in die Veneris Sanc-*

ti in adoratione Crucis genuflectit, ob salutiferæ redemptionis memoriam tali die peractæ. Et à primis Vesperis Dominicæ Passionis Crux velo tegitur, quippè ex tunc Christus se abscondere cœperat: qui in feria sexta comparuit, in Galvaria denudatus: quo quidem actu nobis Divina revelavit mysteria, quæ erant populo Hæbraico abscondita: & quia insuper non de repente Christus se manifestavit, idcirco tunc paulatim detegitur. Jam quidem ab antiquo mos invaluit ferendi Crucem cum luminibus accensis in Processionibus: Ita tamen debet ferri, ut Crucifixi Imago terga vertat ad Clerum. Sed quæ ante Pontificem, & Archiepiscopos defertur debet Antistitem respicere, licet Canonici intermedient. Ritus sanè Crucem ante Pontificem deferendi antiquissimus est, quod, & Regi Hungariæ S. Stephano concessum fuit à Sede Apostolica. Regulares nudam Crucem nequeunt in Processionibus ferre: sed cum velo quidem pendenti. *S. Cong. Rit. 14. Jan. 1617.* Præterea ex Apostolica traditione *processiones* originem ducere creditur: quæ quidem adinstar exercitus modestè, ac devotè coordinantur, vexilla, & Crucem præferendo ad imitationem quidem Israelitici Populi ante conductionem aræ proficiscentis. Vexilla sanè portantur ad repræsentandam victoriam Resurrectionis, & Ascensionis Christi, qui cum ingenti præda caelos ascendit, & sic Ecclesia concinit. *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium, qua vita mortem pertulit, & morte vitam protulit. Tulitque prædam Tartari Processio* ergo à procedendo dicitur. Et ait *D. Bernard.* meritò sanè bini, & bini procedimus: sic enim ad comendationem fraternæ Charitatis, & Socialis vitæ missos à Salvatore Discipulos Evangelia Sacra testantur: turbat processionem, si quis solitarius incedere curat. Hunc pertinent *Litanie* sic à Verbo Græco dictæ, significantque supplicationes, & rogationes. Litaniam major dicitur, quæ fit die S. Marci à D. Gregor. instituta dum Romæ pestis grassaretur, & septiformis dicebatur, eo, quod Populus in septem partes deprecaturus erat divisus.

377 4. Requiritur *Calix*, hic quidem est vas Sacrum, in quo Sanguis Christi consecratur, atque offertur. Ita dictus quia in eo calida absorbentur, juxta Casiodor. qui sic ait. *Calix à calida potione dictus est, quia sicut ille cor hominis exhilarat bibitibus; ita hic Sanctas Animas jucundat haustus.* Olim Calix cum vino, & aqua ad dextra rei oblatæ collocabatur ad denotandum, Sanguinem aqua mixtum à

latere Christi dextro emanasse. Et licet olim Calices ex vitro, marmore, ligno, vel etiam aliis fierent materiis, hodie tamen solum ex auro, vel argento fiunt. Vel saltem debent habere cuppam argenteam, intus deauratam, juxta Rubricam. Ex stanno aliquando fieri permittitur. *c. 45. de Cons. D. 1. ibi: Ut Calix Domini cum Patena, si non ex auro omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem vel staneum Calicem habeat: De aere, aut orichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, qua vomitum provocat. Nullus autem in ligno aut vitreo Calice præsumat Missam cantare.* Jam enim à tempore Bonifacii Episcopi, & Martyris usus Calicis aurei vigeat, quippè ipse de hoc interrogatus respondit: *Quondam Sacerdotes aurei lignis Calicibus utebantur: nunc è contrario ligni Sacerdotes aureis utuntur calicibus. c. 44. de Cons. D. 1.* In Regno Sinensi, & aliis Orientis Regionibus utuntur Missionarii Calicibus ferè stanneis, *Hispanè: De Azofar, d. Caldin blanco.* Calix in quo Dominus in ultima Coena consecravit, juxta Baronium fuit argenteus. Valentia tamen Calix achatæ lapidis conservatur, in quo Dominum creditur consecrasse. 5. requiritur *Patena*, quæ sicut, & Calix, debet esse ab Episcopo consecrata, & ex auro, argento, vel stanno facta. *Patena* quidem nuncupatur, quippè patens, & spatiosa est: & licet non sit aded necessaria ut Calix, quia poterat Corporali, vel manibus suppleri, est tamen valde commoda, & ejus usus per antiquum est fundatus in exemplo Christi, qui in Catino, seu Patena panem consecrasse creditur. *Innoc. III. lib. 2. de Myst. Miss. c. 19. ait, Patenam solemniter, celebrando involvi in velo, vel privatim sub Corporali reconditam Apostolorum fugam tempore Passionis denotare: ac delectam deinde, & Sacerdoti traditam Christum resuscitatum, ejus gregem jam dispersum revocantem, significare.* Forma Patenæ orbicularis est, posset tamen alterius esse figuræ, v. g. quadratæ. 6. Altare debet, juxta Rubricam, operiri tribus *mappis*, vel tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata, pallio quoque ornatur coloris quoad fieri potest, diei festo, vel officio convenientis. In *c. 27. de Cons. D. 2.* quatuor lintea in altari supponuntur, quod potest intelligi de tribus *mappis*, & Corporali. Et quam-

quam soleant hujusmodi *mappæ* benedicti, non tamen est necessarium. Una tobalea in necessitate sufficiens erit. 7. requiritur *Corporale*, lineum quidem, saltem quoad partem, qua Hostiam, vel Calicem tangit. *c. 46. de Cons. D. 1. ibi: Consulto omnium statutimus, ut Sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat: sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino creato, atque contexto: sicut Corpus Domini Nostri Jesu-Christi in sindone linea munda sepultus fuit.* In extremitatibus tamen potest esse sericum, vel auro elaboratum. 8. necessaria item est *palla lineæ*, quæ pars Corporalis reputatur, & olim cum ipso erat conjuncta, & Calici superponitur, estque quadrata, & *Hispanè* dicitur *Hijuela*. Significatque Sudarium, quo caput Christi fuit involutum. Etiam est alia palla parva etiam lineæ, & rotunda, qua Hostia cooperitur, non tamen indiget benedictione. Corporale, & pallam posse esse ex cannabe probat usus, quin, & ex gossipio docent. *Verricel, & Lacroix l. 6. p. 2. n. 333. cum aliis, Calix panem serico coloris diei cooperitur, & vellum appellatur: & Corporalium bursa super imponitur.* 9. requiritur *purificatorium* lineum, quod non est necesse benedicti, & olim quidem cum manipulo purificabatur. 10. *Missale* necessarium est. Et quidem inter nos Romanum, jussu S. Pii. V. editum, cui sanè nec detrachere, nec addere aliquid licet, quin Sacra Congregatio renovando Decreta alias facta mandat, in omnibus, & per omnia servari Rubricas dicti *Missalis*, non obstante quocumque prætextu, & contraria consuetudine, quam abusum esse declarat: Quod approbatum est ab Urbano VIII. ut constat ex principio *Missalis*: Et hoc apponitur in cornu Epistolæ, eique cussinus, *Hispanè: Atril* supponitur, *Missale* quidem saltem Canonem habere debet: in grave tamen necessitate ille, qui est moraliter certus, se non erraturum, poterit sine *Missali* celebrare. *Latr. lib. 6. p. 2. n. 363. 11.* apponitur quaedam pellicula cum duabus ampullis vitreis vini, & aquæ: sed jam ampullæ, vel urceoli hujusmodi etiam ex auro, vel argento conficiuntur. Item apponitur manutergium mundum in fenestella, seu parva mensa ad hæc preparata. 12. in altari ad pedem Crucis ponitur tabella, quam Secretarum dicunt. 13. requiritur Minister saltem unus: olim tamen duo erant necessarii, ut verè posset dicere Sacerdos: *Domine vobiscum*, aliasque deprecationes, quæ

quæ in plurali sonant. c. 61. de Cons. D. 1. Minister autem mas debet esse, non foemina. c. 1. de Cohabit. Cleric. Moniales verò ex Choro respondere possunt, dum tamen vir, etiamsi respondere nesciat, circa altare ministret. In necessitate verò gravi: v. g. diei festi, vel dandi Viaticum posset Sacerdos sibi ipsi respondere. Similiter, quando post Missam cœptam, Minister abiit, & aliquantulum expectatus non revertitur, tunc quidem sine Ministro prosequi poterit. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 185.* Denique super altare, ait Rubrica, nihil omnino ponatur quod ad Missæ Sacrificium, vel ipsius altaris ornamentum non pertineat. Flores apponi devotio fidelium jam communiter induxit, & D. Hieronymus commendat. *Juxta Gavantum in Rubric. Missal. p. 1. tit. 20.*

378 In Missa ergo dicenda debet Sacerdos, quicumque sit, & in quacumque Ecclesia celebret, omnino sequi Rubricas, & directionem Missalis Romani editi jussu S. Pii V. etiamsi eadem Ecclesiæ quovis modo exemptæ Apostolicæ Sedis indulto, consuetudine, privilegio, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel aliis quibusvis facultatibus munitæ sint, nisi ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine: quæ, vel ipsa institutio super ducentos annos Missarum celebrandarum in eisdem Ecclesiis, assidue observata sit, à quibus præfatam celebrandi constitutionem, vel consuetudinem nequaquam auferimus, ait S. Pius V. in Const. quæ est in principio Missalis. Græcus tamen suum ritum, sicut suum Latinus servat. Sacerdos Ritus Romani non potest, nequidem in Ecclesia Regularium, Missali proprio talis Ordinis uti: nec Missæ, quæ non sunt in Missali communi, vel tantum certis Religiosis, vel in certis locis conceduntur, dici valent ab aliis, vel alibi, nequidem in Ecclesiis talium Regularium. S. Congr. 19. Nov. 1622. Peregrinus qui Missali Romano utitur, sive Sæcularis, sive Regularis licet utitur Missali Diocesis, in qua est. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 367.* in Capella Pontificia Epistola, & Evangelium Latine, & Græcè leguntur. Et idem est de Prophetiis Sabbati Sancti. *Macri.* Aliquando in nostra Hispania Ritu Gotico, seu Mozarabico celebratur. *Hispani: Mozarabe* dicitur, quasi mixti Arabicus, quippe tunc Christiani cum Arabibus mixti erant: vel quasi mos Arabicus, quod in idem recidit. Et ego vidi Toleti, & Salmantice tali ritu celebrare. Sinici Sacer-

dotes ibidem nati possunt Sacra ministrare, & alias Sacras functiones peragere juxta Ritus S. R. E. in lingua erudita. *Sinarum* ex concess. *Pauli V. 26. Martii 1615.* ut constat ex *Compend. privileg. Soci. V. Miss.* Jam ergo ad partes Missæ principaliores explicandas accedamus. Olim quidem hoc sacrificium in consecratione, & oratione Dominica consistebat, sed postea Apostoli Epistolam, & Evangelium, summique Pontifices reliqua successivè pro temporum, & Ecclesiæ necessitate, addiderunt. Ante altare igitur incipit Missam Sacerdos, qui si Regularis sit, quando dicit Confiteor, nomen sui Sancti fundatoris addit, si ab Apostolica Sede hoc privilegium habeat, sicut varii habere dicuntur: & Hispanos posse ex privilegio, Sancti Jacobi nomen addere fertur: idemque ob correlationem poterit Minister facere: ascendit Sacerdos ad altare, & in cornu sinistro incipit Missam ab *introitu*, qui sic appellatur, quia canitur, dum Sacerdos ad altare ingreditur. Postea sequitur *Gloria*, seu hymnus Angelicus, sic dictus, quia in nocte, qua noster Redemptor natus fuit Angeli intonerunt: *Gloria altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2. v. 14.* à Græcis dicitur *Doxologia*, id est, *Glorificatio*. Olim quidem Gloria à solis Episcopis, in Dominicis, & festivitibus SS. Martyrum (quæ tunc solemniores erant) canebatur, à Sacerdotibus autem in die Paschæ tantum: Hodie verò Gloria dicitur quando in Officio *Te Deum laudamus* recitatur, nisi in fœria in Coena Domini, & in Sabbato Sancto, in quibus Gloria dicitur, esto *Te Deum* in Officio non recitetur. Post *Gloria Oratio* sequitur, quæ etiam *collecta* nuncupatur, quia nomine totius Populi in unum collecti dicitur, vel eo quod omnium petitiones compendiosè colligat, vel quia per eam omnium audientium animi ad Deum colligantur: undè Sacerdos præmittit *Oremus*; & est una, tres, quinque, vel ad summum septem: post orationem *Amen* dicitur, quod est, ita fiat. Dein *Epistola* sequitur, quæ sic à verbo Græco dicta mandatum, seu commissionem significat, & ex traditione Apostolica in Missa dicitur. Et licet solum Lectiones Apostolorum Epistolæ essent nuncupanda, jam hoc nomine omnes lectiones, quæ ante Evangelium leguntur, veniunt. Olim Epistolam canere erat Lectoris munus, quod hodie Subdiaconus facit. Finita Epistola, dicitur *Graduale*, quod ab aliis quibus *membrana* appellatur. Vocatur

Gra

Graduale, quia dum Diaconus petit benedictionem à celebrante, & dum per gradus ambonis ascendit ad Evangelium canendum, ne in silentio vacet totum illud tempus sine cantu in Choro, Graduale canitur. Postea *Evangelium*; quod à verbo Græco, significat faustam annuntiationem, sequitur. Omnes Epistolas, & Evangelia, quæ per annum leguntur distributa fuisse à D. Hieronymo, & à S. Damaso confirmata, creditur. Diaconus antequam Evangelium cantet, celebrantis manum osculatur: Subdiaconus è contra post Epistolam lectam: quippe Lex vetus terminata est in Christo: à quo nova sumpsit exordium: hæc enim in Diacono, sicut illa in Subdiacono figuratur: quod sanè nec in Missis privatis deest: Nam cornu Epistolæ Legis veteris, cornu Evangelii novi Testamenti sunt symbola. Deinde, quando legitur Evangelium ait *D. Hieronymus*, accenduntur luminaria jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: undè, & Virgines illæ Evangelizæ semper lampadas habeant accensas. Diaconus, ait *Innocentius*, signare se debet in fronte, in ore, in pectore: ac si dicat. Ego crucem Christi non erubescio, sed credo corde, quod ore prædico. Osculatur Evangelium, quippe eo mediante pacem à Christo recipimus. Quando Evangelium legitur, debent audientes stare in Evangelii reverentiam. c. 68. de Cons. D. 1. Rex si est sacra unctione delibutus, non solum osculatur Evangelium, sed & illud potest in Missa canere, sic fecisse Basileæ in nocte Nativitatis Carolum IV. testatur *Macri.* Evangelium etiam significat nuncium, & prædicationem, & sic intelligendus est *Apostol. ad Rom. cap. fin. n. 25.* ibi: *Ei qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi.* Si est concionandum, tunc post Evangelium fieri debet. Et quidem concioni omnibus interesse permittitur c. 67. de Cons. D. 1. ibi: *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum usque ad Missam Cathecumenorum.* Concione finita clamabat Diaconus: *Si quis Cathecumenus est, procedat foras* Et hæc pars Missæ, Missa Cathecumenorum dicebatur.

379 Post Evangelium *Symbolum*, seu *Credo* dicitur, ut quod audito Evangelio corde creditur, per symbolum ore confiteatur. Hoc namquam dicitur omnibus

Tomo I.

Dominicis, & aliis festivitibus, de quibus in Rubricis. *Symbolum* quidem appellatur à verbo Græco, quod signum significat. In eo continentur doctrina fidei ab Apostolis, & Ecclesia tradita. In Missa canitur alta voce ad denotandam publicam sanctæ fidei prædicationem. In prima vero, & in completorio secretò dicitur: quia in primordio Ecclesiæ nondum erat divulgata fides, & in fine sæculorum obscurabitur ob Antichristi persecutiones. Olim Romæ non dicebatur in Missa, ad denotandam firmitatem fidei, & stabilitatem illius Christianitatis Principatus, jugiter immunem ab omni hæreticali labe. Sed *Benedictus VIII.* ad petitionem S. Henrici Imperatoris ibidem recitari jussit juxta Baronium. Olim *symbolum* Apostolorum dicebatur in Missa, postea jussu S. Marci Papæ *symbolum* Nicænum, hodie Constantinopolitanum, in quo est additum *filioque*, dicitur, prout S. Damasus statuit. In Officio Divino sæpè dicitur *symbolum* Apostolorum, & in Prima Dominicarum *symbolum* S. Atanasii recitatur. Post *symbolum* sequitur *offertorium*, quod in quadam brevi antiphona consistit, quæ tempore oblationis canebatur, ad imitandum Israeliticum Populum, de quo in 2. *Paralyt. 29. v. 27.* legitur: *Et jussit Ezechias, ut offerrent holocausta, super altare, cumque offerrentur holocausta coperunt laudes canere Domino.* In Sabbato Sancto non dicitur offertorium: quia in eo die non fiebat oblatio, cum adhuc Resurrectio Salvatoris in eo Missæ termino non celebraretur: vel quia tacet Cantores imitantes mulieres, quæ Dominum in taciturnitate quærebant, nam illæ unguenta Salvatori nocturni silentii favore attulerunt. Offertorium etiam offerenda appellatur. Oratio secreta Sacerdotis est commemoratio quædam secreta orationis Christi, vel in hortu, vel in cruce. Postea sequitur *Præfatio*, quæ est præcatio præcedens ad Sacrum Missæ Canonem. Sacerdos enim fidelium mentes præparat ad sacrificium dicendo: *sursum corda*, ut dum respondet plebs, habemus ad Dominum, admonetur, se nil aliud, quam Dominum cogitare debere. Novem Præfationes in c. 71. de Cons. D. 1. numerantur, quibus postea Præfatio de B. Virgine addita est. c. fin. D. 70. Infra octavam solet dici Præfatio ejusdem Octavæ, etiamsi non fiat de Octava, nec de ea commemoratio, aliis quibus casibus exceptis. In Præfationis fine bis dicitur. *Ossanna*, quod significat salva nos, semel Angelorum voce, & iterum

Oooo

rum

rum hominum nomiae. Præfatio in Missa-  
li Mozarabico illatio appellatur.

380 Canon Missæ incipit ab oratione  
*Te igitur*, vocaturque Canon, quia est  
regula consecrationis, & hinc à variis  
regula, ab aliis verò legitimum, ordo pre-  
cum, secretum, & actio nuncupatur, ac  
proinde oratio: *Communicantes, infra*  
*actionem*, quasi infra Canonem vocatur.  
Mentio, quæ de Pontifice in Canone fit,  
jam à tempore S. Clementis in usu erat.  
Et Pontifex, dum celebrat ait: *Unà mecum*  
*indigno famulo tuo*: postea nominatur  
Episcopus loci, ubi celebratur in Abba-  
tiis, quæ nullius Diocesis sunt, non sit  
mentio de Abbate, sed de viciniore Epis-  
copo, ad quem solet pro ordinibus re-  
currere. Nec possunt Religiosi suum Gene-  
ralem nominare. S. Cong. 12. Nov. 1615.  
Romæ nullius Episcopi fit mentio, nec  
Sedevacante. Tertio loco fit mentio Reg-  
is in Provinciis, in quibus hoc privile-  
gium invenitur, ut in Hispania in *Constit.*  
S. Pii V. *Ad hoc nos* 1570. de quo nec  
extranei dubitant. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 369.*  
Quin & præterea potest post primam ora-  
tionem, secretam, & post communio-  
nem addi collecta. *Et famulos tuos* ab om-  
nibus Sacerdotibus tam Regularibus, quam  
Secularibus, & tam in Missis privatis,  
quam cantatis, & Conventualibus, quan-  
tumcumque solemnibus ex concess. S. Pii V.  
& Greg. XIII. & denique ex Decret. S. Rit.  
Cong. 13. Jul. 1675. ut ex ipsis Missalibus  
const. In Memento habentur hæc litteræ  
N. N. quia olim nomina offerentium in  
Missa recitabantur, vel etiam nomina Epis-  
coporum, & virorum illustrium, qui in  
diptichis descripti erant. *Diptichum* ergo  
erat duplex tabella, quæ in forma libri clau-  
debatur, ubi hujusmodi viri describeban-  
tur, & magni dedecus erat, si deleban-  
tur, ut fiebat cum hereticis, schisma-  
ticis, & excommunicatis.

381 Jam ergo ad consecrandum ve-  
nimus: Consecratio panis sic fit. *Hoc est*  
*enim corpus meum*. Et vini sub his verbis.  
*Hic est enim calix sanguinis mei, novi, &*  
*æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro*  
*vobis, & pro multis effundetur in remissionem*  
*peccatorum*. Quæ sanè verba debet  
Sacerdos in persona Christi pronuntiare,  
ita ut intendat asserere, quod verba ipsa  
significant, & quod Christus per illa asse-  
ruit: nec enim sufficit, quod ea proferat  
recitative, hoc est tantum illa recitando,  
ut à Christo dicta absque intentione asse-  
rendi id quod significant: quippè in hoc  
sacrificio principalis Sacerdos offerens est

Christus: & Sacerdos celebrans tantum  
est ministerialis Sacerdos, in quantum, ut  
proximus Minister in persona Christi ope-  
ratur. *Trid. sess. 22. cap. 2. ibi: Una enim*  
*eademque est hostia, idem nunc offerens*  
*Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc*  
*in cruce obtulit, sola offerendi ratione di-*  
*versa*. Sed non omnia prædicta verba  
sunt de essentia formæ consecrationis,  
licet sint de necessitate præcepti. Et sic  
debet intelligi Concilium Florentinum in  
Decret. de Sacramentis. Pronomina *hoc, &*  
*hic* non significant panem, & vinum, quæ  
consecrantur, nec species panis, & vini,  
cum neque panis, nec ejus species sint  
Corpus Christi: nec item vinum, nec ejus  
species sint Sanguis Christi. Demonstrant  
ergo prædicta pronomina Corpus, &  
Sanguinem Christi, non quidem sub ex-  
plicita, & distincta ratione Corporis, &  
Sanguinis, quia sic tales propositiones  
essent identitæ, hoc modo: *Hoc Corpus*  
*meum est Corpus meum, &c.* Demonstrant  
ergo Corpus, & sanguinem sub confusa  
ratione contenti sub speciebus panis, &  
vini in fine prolationis verborum formæ  
consecratoris. Et quamquam *Matth. 26.*  
*v. 28.* solum habeatur. *Hic est enim san-*  
*guis meus Novi Testamenti, qui pro multis*  
*effundetur in remissionem peccatorum*: nec  
in ipso, vel alio Evangelista inveniantur  
hæc verba: *Æterni, & Mysterium fidei*.  
Cum aliudè constet *Joan. cap. fin. v. fin.*  
non omnia esse in Evangelii scripta, abs-  
dubio credimus, quod formam verborum,  
sicut in Canone reperitur, & à Christo  
Apostoli, & ab Apostolis acceperint suc-  
cessores, ut ait Summus Pontifex *Innocent.*  
*III. in c. 6. h. t.* quem tanti mysterii dig-  
num profectò Interpretem habemus: ibi:  
*Non solum scriptura, sed etiam promissio*  
*dicitur Testamentum, juxta quod Apostolus*  
*ipse scribit: idèd Novi Testamenti mediator*  
*est, ut promissionem accipiant, qui vocati*  
*sunt hereditatis æternæ*. Sic ergo intelligi  
debet, quod in ipso Canone reperitur: *Hic*  
*est enim sanguis meus novi, & æterni Tes-*  
*tamenti, id est, novæ, ac æternæ promissio-*  
*nis, scilicet, confirmator, sicut Dominus*  
*repromittit: qui manducat, (inquiens) car-*  
*nem meam, & sanguinem meum bibit, ha-*  
*bet vitam æternam: : dicitur tamen mys-*  
*terium fidei, quoniam aliud ibi creditur,*  
*quam cernatur, & aliud creditur, quam*  
*creditur, Cernitur species panis, & vini,*  
*& creditur veritas Carnis, & Sanguinis*  
*Christi, ut virtus unitatis, & charitatis.*  
*Distinguendum est tamen subtiliter inter*  
*tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta,*  
*vid-*

videlicet formam visibilem, veritatem cor-  
poris, & virtutem spiritualem. *Forma est*  
*panis, & vini, veritas carnis, & sangui-*  
*nis, virtus unitatis, & charitatis*. Primum  
est Sacramentum, & non res: secundum est  
Sacramentum, & res: tertium est res, &  
non Sacramentum, sed primum est Sacra-  
mentum geminæ rei; secundum est Sacra-  
mentum unius; & alterius res existit. Ter-  
tium est res gemini Sacramenti. Et addit  
Glossa: primum, scilicet forma panis, &  
vini est Sacramentum geminæ rei, id est,  
Corpus Christi, & unitatis, & ita est  
figurans tantum. Secundum, id est, Cor-  
pus Christi est Sacramentum scilicet uni-  
tatis, & est res Sacramenti, scilicet spe-  
cierum panis, & vini: & ita est signans, &  
signatum. Tertium scilicet, unitas est res,  
sivè signatum gemini Sacramenti, id est,  
duorum Sacramentorum præcedentium,  
id est, Corpus Christi, quod est Sacra-  
mentum unitatis, & specierum panis, &  
vini, quæ sunt Sacramentum Corporis  
Christi: & ita istud tertium est tantum  
signatum per illa duo Sacramenta. Sed  
quia prædicta aliqui tenebrarum nube  
offussa videntur, sciendum est, quod Eu-  
charistiæ Sacramentum adequatè consistit,  
& intrinsecè constituitur ex speciebus,  
& simul ex Corpore, & Sanguine Christi.  
*c. 48. de Cons. D. 2. Hoc est quod dicimus:*  
*hoc modis omnibus approbare contendimus,*  
*Sacrificium scilicet Ecclesie duobus confici,*  
*duobus constare: visibili elementorum spe-*  
*cie, & invisibili Domini Nostri Jesu-Christi*  
*Carne, & Sanguine; Sacramento, & re*  
*Sacramenti, id est, Corpore Christi; sicut*  
*Christi persona constat, & conficitur Deo,*  
*& homini*. Nam licet species sint signum  
sensibile, non tamen sanctificant, quod  
est de ratione Sacramenti Novæ Legis. Et  
Corpus, & Sanguis licet sanctificent, non  
tamen sunt signum sensibile, quod est de  
ratione Sacramenti. Hoc ergo stat inadæ-  
quatè in quolibet, & adequatè in conjuncto.  
Et in hoc sensu dicitur in *c. 6. h. t.* quod  
species sunt Sacramentum tantum. Ibi  
namque Sacramentum sumitur præcisè  
pro eo, quod significat rem sacram, &  
non significatur. Et similiter in *c. 42. de*  
*Cons. D. 2.* ut Berengaricus suam hæresim  
revocans dicit, panem, & vinum, quæ in  
altari ponuntur, post consecrationem non  
solum Sacramentum, sed etiam verum  
Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Je-  
su Christi esse. Et contra verò quando in  
*Trident. sess. 13. cap. 1. Et Can. 3.* dicitur  
in Sacramento Eucharistiæ Corpus Christi  
contineri, Sacramentum sumitur adæqua-

te, & in eo Corpus Christi continetur,  
tamquam pars in toto, sicut in homine ani-  
ma continetur. Deinde, quam SS. PP.  
dicunt, hoc Sacramentum esse Corpus  
Christi, partem accipiunt pro toto. Spe-  
cies namque sunt Sacramentum tantum  
modo dicto, nam significant rem sacram,  
scilicet Corpus, & Sanguinem Christi, &  
non significantur. Gratia est tantum res,  
quia significatur, & non significat. Cor-  
pus, & Sanguis Christi sunt simul res, &  
Sacramentum: quia per species signifi-  
cantur, & fidelium significant unitatem,  
& spiritualem refectioem animæ per gra-  
tiam sanctificantem.

382 In elevatione hostiæ campanula  
pulsari debet, & olim aliquæ acclamatio-  
nes decantari solebant, teste *Maeri Hירו-*  
*Lexic. V. Hostia*, quod in His Insulis ac-  
curatè servatur. In Papali Sacello ad e-  
levationem hostiæ, & calicis non pulsatur  
campana, nec in Missa privata ejusdem  
Pontificis ad *Sanctus*, quod etiam obser-  
vatur, quando idem Pontifex privatim au-  
dit sacrum, ut testatur *Maeri V. Campana*.  
Sacerdos hostiam in tres partes dividit:  
quod triplicem Ecclesiæ statum significat:  
particula enim, quæ in calicem mittitur,  
Ecclesiam Militantem in calice tribulatio-  
nis agitatam denotat: aliæ duæ partes Ec-  
clesiam Triumphantem, in Purgatorii scilicet,  
& Paradisi statu designant. Sed jux-  
ta D. Thomam, particula in Sanguine im-  
mersa Christum triumphantem significat,  
& illa, quam Sacerdos absumit, Corpus  
Christi conversantis designat: tertia deni-  
que, quæ in transactis seculis usque ad  
finem Missæ conservabatur, quod & Græ-  
ci adhuc observant, Christi Corporis in  
Sepulcro symbolum est. Item hæc tres  
hostiæ partes significant Divinitatem, Ani-  
mam, & Corpus Christi. In Missa Moz-  
arabica hostia in novem partes dividitur,  
in memoriam novem præcipuorum mys-  
teriorum Vitæ Christi. Ex parte inferiori  
hostiæ debet sumi particula in calicem  
mittenda, ut praxis docet, quamvis alii  
dicant, debere sumi ex parte superiori.  
In feria 6. Parasceves, quando Sacerdos  
mittit prædictam particulam in calicem,  
non debet facere consuetas cæremonias  
in illius officio. S. Cong. Rit. 28. Aug. 1627.  
Honorius III. Ann. 1220. jussit, ut in hos-  
tia imago Crucifixi imprimeretur. Postea  
Sacerdos communicat sub utraque specie,  
juxta illud *Joann. 6. v. 54. Nisi manduca-*  
*veritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus*  
*Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*  
Et licet aliquando etiam non Sacerdoti.